

mines antea aderant; *Paulus Adamum* I. Cor. 15, 45. 47. primum hominem diserte appellat & quae sunt reliqua scripturae sacrae testimonia; consequenter *Peirerius* sententiam suam contra claram sacrarum litterarum assertionem assumpsit & introducere cupiuit. Porro hoc adhiberi potest contra eos, qui huius mundi & simul huius terrae aeternitatem statuunt, qua infinitam hominum seriem statuere coguntur. Huius sententiae incertitudo ex antecedentibus quoque facile patebit; v. 24. in capite nostro dicitur: Deum mundum creauisse, ergo ab aeterno esse nequit, sed initium cepit, & homines ab vno Adamo originem suam, qui a Deo post reliquas res creatas productus est, trahunt: vnde sequitur, homines ab aeterno non fuisse sed in tempore esse productos & initium habere.

§. IX.

Cum dicti huius obiectum explicauerimus; nunc progrediemur ad assertionem de isto. Afferit autem *Paulus* de his hominibus: ἐποίησε ἐξ ἑνός αίματος. Verbum ἐποίησε est a ποιῆν, cuius generalior significatus est *facere*, quocunque modo id fiat, & *conficere*: specialior est, non existens ad existentiam perducere, cuius vel materia iam antea existit, vt τὰ ἀγάλματα ποιῆν *simulacra facere* apud *Theophrastum*: ὡν ποιῆ ἄρρεν οὐμν *parit marem*; vel nondum materia existit, id est creare ex nihilo, quem significatum apud Profanos deprehendere non licuit, quia creationem ex nihilo ignorarunt. In N. T. obtinet nostro capite v. 24. coll. *Matth.* 19, 4. vt & res creatae ποιήματα vocantur *Rom.* 1, 20. sicuti etiam *Tales* apud *Diogenem Laertium* L. I. §. 35. mundum vocat ποιημα θεου, quod

B 3

quod